

*Et ore pedibusq; ac parte omni inferiore, qua raram & innocua habent lanuginem, \* cōfluunt in formam pilae, ne quid comprahēdi possit præter aculeos. In desperatione uero, urinam ex se reddunt tabificam tergori suo spinisq; noxiam, propter hoc se capi gnari. Quamobrem exinanita prius urina uenari, ars est. Et tum præcipua dos tergori, alias corrupto, fragili, putribus spinis atq; deciduis, etiam si uiuat subtractus fuga: ob id non nisi nouissima spe maleficio eo perfunditur: quippe & ipsi odere suum ueneficium, ita parcentes sibi terminumq; supremum opperientes, ut ferme ante captiuitas occupet. Calida postea aqua aspersu resoluitur pila: apprahensq; pede altero è posterioribus, suspendio ac fame necatur: aliter non est occidere & tergori parcere. Ipsum animal non ueretur pleriq; dicere uitæ hominum superuacuum esse, si non sint illi aculei, frustra uelleri mollitie in pecude mortalibus data. Hac cute expoliuntur uestes. Magnum fraus et ibi lucrum monopolio inuenit, de nulla re crebrioribus senatusconsultis, nulloque non principe adito querimonijs provincialibus.*

De leontophono, lynce, melibus, & sciuris.

CAP. XXXVIII.

**V**rina et è duobus alijs animalibus ratio mira est. Leontophonon accipimus uocari paruum, nec aliubi nascens q̄ ubi leo gignitur: quo gustato tanta illa uis, ac ceteris quadrupedū imperitans, ilico expiret. Ergo corpus eius adustū aspergunt alijs caribus polente modo, insidiantes feræ, necantq; etiam cinere. Tam contraria est pestis. Haud immerito igitur odit leo, uisumq; frangit, & citra morsum examinat. Ille cōtra urinam spargit prudens, hęc quoq; leoni exitialem. Lynceū humor ita redditus ubi gignuntur, glaciatur arefcitūe in gemmas carbunculis similes, et igneo colore fulgētes, lyncuriū uocatas, atq; ob id succino à plerisq; ita generari pdito. Nouere hoc sciūtq; lyses, et inuidentes urinā terra operiūt, eoq; celerius solidatur illa. Alia solertia in metu melibus, sufflata cutis distētū ictus hoīum & morsus canū arcēt. Præuident tēpestatē & sciuri: obturatisq; qua spiraturus est uētus cauernis, ex alia parte aperiūt fores: de cetero ipsis uillosior cauda pro tegumēto est. Ergo in hymes alijs prouisum pabulum, alijs pro cibo somnus.

De uipera, cochleis, & lacertis. CAP. XXXIX.

**S**erpentiū uipera sola terra dicitur condi, ceteræ arborū aut saxorum cauis. Et alias uel annua fame durāt, algore modo dempto. Oīa secessus tempore ueneno orba dormiunt. Simili modo & cochleæ. Illa quidem iterum & astatibus, adherentes maxime saxi: ut etiam iniuria resupinata auulsaque, non tamen exeant. In Balearibus uero insulis cauatice appellata, nō prorepūt è cauis terra: neq; herba uiuūt, sed uix modo inter se coharēt. Est & aliud genus minus uulgare, adherente operculo eiusdem teste se operiens: obruta terra semper hæ, et circa maritimas tantum alpes quōdam effossa, capere iam erui & in Ve-

lerno. Omnium tamen laudatissima in Astypalæa insula. Lacertæ inimicissimum genus cochleis, negantur semestrem uitam excedere. Lacerti Arabiæ cubitales: in Indiæ uero N. ysa monte xxxiij in longitudine pedum, colore fului, aut punicei, aut cerulei.

De canibus.

CAP. XL.

**E**X his quoq; animalibus qua nobiscum degunt multa sunt cognitu digna, fidelissimumque ante omnia homini canis atque equus. Pugnassee aduersus latrones canem pro domino accepimus, confectumque plagis à corpore non recessisse, uolucres et feras abigentem. Ab alio in Epiro agnitum in cōuentu percussorem domini, laniatu & latratu coactum fateri scelus. Garamantum regem canes ducenti ab exilio reduxere præliati contra resistentes. Propter bella Colophonij, itemque Gastabalenses, cohortes canum habuere: ea primæ dimicabant in acie nunquam detrectantes. Hęc erant fidissima auxilia, nec stipendiorum indiga. Canes defendere Cimbris casis domus eorum plaustris impositas. Canis Iasone Lycio interfecto, cibum capere noluit, inediaque consumptus est. Is uero cui nomen Hyrcani reddidit Duris, accenso regis Lysimachi rogo iniecit se flammæ: similiterque Hieronis regis. Memorat & Pyrrhum Gelonis tyranni canem Philistus. Memoratur & Nicomedis Bithyniæ regis, uxore eius Condingi lacerata propter lasciuiosem cum marito iocum. Apud nos Volcatium nobilem, qui Ceselium ius ciuile docuit, asturcone è suburbano redeuntem, cum aduesperauisset, canis à grassatore defendit: Item Cælium senatorem agrum Placentiæ ab armatis oppressum: nec prius ille uulneratus est, quam cane interempto. Sed super omnia in nostro auro actis populi Romani testatum, Appio Iunio & P. Silio C O S S. cum animaduertetur ex causa Neronis Germanici filij, in T. Sabinum & seruitia eius, unius ex his canem nec à carcere abigi potuisse, nec à corpore recessisse, abiecto in gradibus gemonijs mæstos edentem ululatus, magna populi Romani corona circumstante: ex qua cum quidam ei cibum obiecisset, ad os defuncti tulisse. Innatauit idem caduere in Tiberim abiecto sustētare conatus, effusa multitudine ad spectandum animalis fidem. Soli dominum nouere: & ignatum quoque, si repente ueniat, intelligunt. Soli nomina sua, soli uocem domesticam agnoscunt. Itinera quamuis longa meminere. Nec ulli præter hominem memoria maior. Impetus eorū & sanctia mitigatur ab homine confidente humi. Plurima alia in his quotidie uita inuenit. Sed in uenatu solertia & sagacitas præcipua est. Scrutatur uestigia atque persequitur, comitantē ad feram inquisitorē loro trahēs: qua uisa quàm silens & occulta, quàm significans demonstratio est, cauda primū, deinde rostro. Ergo etiā senecta sessos cæcosq; ac debiles sinu ferunt, uentos & odorem captantes, prodentesque rostro cubilia. Et tigribus eos Indi uolunt concipi: & ob id syluis coitus tempore